

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvtatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

7 De eleemosina.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](#)

QVODLIBET. VI. ART. XI. ET XII.

41

**I**deo institutum est, ut decime, soluantur ad sustentationem ministeriorum ecclesie: sed sacerdos diues habet alias unde sustentetur. ergo non sunt ei decimae soluendae, & precipue a pauperiis.

**¶ 2** Præt. In multis terris decimæ non soluntur, quod tamen prælati corrigent, si hoies ex necessitate iuris diuini decimas soluere teneruntur. nō ergo uidetur quod præsertim pauperes, teneantur soluere decimas diuitibus sacerdotibus.

**SED CONTRA** eis, quod Dominus Matth. 23. dicit, Hæc oportet facere, si iudicium & ueritatem, & illa non omittere, si ea quæ pertinent ad decimationem solutionem.

**¶ 2** Præt. Luc. 18. Phariseus dicit. Decimas do omnino quæ possideo.

**R**ESPON. Dicendum, quod sicut Philosophus docet in 5. ethi. Medium iustitiae accipitur nō solum quoad nos, sicut in carceris iuribus, sed etiam secundum rem, quia scilicet in aliis iuribus attendunt diversæ conditions personarum, sed in quas mediū diversificatur sicut circa cibos quod est in omnibus unius, est paucum alterius, uel moderatius; sed in iustitia non variatur medium secundū diversas personæ conditions, sed attendit solum ad quantitatem rei. Qui enim emit rem aliquam, dñe tantum soluere quantum valer, sive a paupere, sive a diuite emat. Reddere autem debitum est actus iustitiae, & idcirco ad hoc quod alium reddatur quod ei debetur, non refert utrum sit diuines, uel pauper. Decimæ autem sacerdotibus debentur, in communione quidem secundum ius naturale. Naturalis autem rō dicit, ut illi qui pro populo in spiritualibus laborant, a populo stipendia sua sustentationis accipiant. Et secundum hoc etiam in novo testamento est inter diuino sanctum. Nam ut dicitur 1. ad Cor. 9. Dominus ordinavit his qui Euangelium annuntiant, ut de Euangelio uiuant: sed in lege veteri iudiciale precepto taxata est quantitas eius quod ministeriorum Dei est a populo soluendum. s. decima & hoc etiam Ecclesia statuit in populo Christiano solendum: unde cum sacerdotibus decimæ debeantur, tum de iure naturali, tum de iure diuino, tum etiam ex statuto ecclesiæ, quamvis sacerdos sit diuus, nihilominus pauper tenetur ei decimas soluere.

**A**D PRIMUM ergo oportet respondere dupliciter. Vno modo, ut dicatur quod decimarii solutio est instituta non solum ad sustentationem ministeriorum ecclesie, sed etiam ad sustentationem pauperum, quibus debet de domo Dei prouideri, unde dñ Malac. 3. Inferte omnem decimationem, ut sit cibus in domo mea, & sic sacerdoti, qui non solum sibi, sed pauperibus prouidere dñe, quantumcumque diuitiæ sunt decimæ necessaria. Alio modo, potest dici quod necessitas sustentationis ministeriorum fuit ratio ecclesiastice institutionis decimatarum solutione: sed ex quo officium est alicui debitum per statutum ecclesiæ, nihilominus ei debetur, quamvis sit diuus.

**A**D II. dicendum, qd sicut Paulus laudabiliter nō exigebat sumptus, qui sibi propriè prædicatio nem euangeli debebantur, ne quod impedimentum fieret euangilio, aut scandalum fidelib. Chri, non tamen illi peccabant non ministrantes sumptus, quos Apostolus sibi debitos remittet: ita et prælati ecclesiæ laudabiliter faciunt non exigendo decimas in terris illis, in quib. propter dissuetudinem timent scandalum generare: nec peccant illi qd non soluunt decimas in terris illis, in quib. nō est consuetum peccarent aut si obstinate exigentibus

A dare recusant, & ideo ut huic peccato obuient sacerdotes, in tertis illis non exigunt decimas.

QVÆSTIO VI.

**D**E INDE quæstum est de actibus charitatis. **¶ 1** Et primo, De obedientia, utrum sit magis meritorium obedere prælato, vel facere aliquid ad dictum fratris.

**¶ 2** Secundo de eleemosyna.

ARTICULUS XI.

**B**VTRUM MAGIS sit meritorium obedere prælato, quam facere aliquid ad dictum fratris.

**C**IRCA primū sic proceditur. Videatur, quod magis sit meritorium obedere prælato, quā facere aliquid ad dictū fratris. Maiori enim merito minus detrimentum opponitur: sed magis demeretur ille qui est inobediens prælato, quā ille qui non assentit dicto fratris. ergo & magis incurrat aliquis obediens prælato, quam assentiens dicto fratris.

**S**ED CONTRA. Vbi est maior humilitas, ibi videtur esse maius meritorium, quia humilibus dat Deus gratiam, ut dicitur Iacob. 4. sed maioris humilitatis videtur esse, quod aliquis aequali se subiiciat faciens aliquid ad dictum eius, quam quod alii quis subiiciat se superiori obediens prælato. ergo magis uidetur esse meritorium, quod aliquis faciat ad dictum fratris, quam quod obediatur prælato.

**R**ESPON. Dicendum, quod aliquis actus potest dici magis meritorius dupliciter. Vno modo ex genere operis, & sic ille actus est magis meritorius, qd est excellētioris virtutis. Manifestum est autem qd latraria, per quam aliquis seruit Deo, est excellētior iuritus quam beneficentia, qua quis satisficit proximo, sicut & diligere Deum est magis meritorium, quam diligere proximum. Quod autē aliquid fiat ad dictum fratris, pertinet ad amicitiam, vel beneficiem, qua quis diligit proximum: quod autem obediatur prælato in quantum est Dei minister, pertinet ad religionem, qua quis colit & diligit Deum: & ideo magis est meritorium qd aliquis faciat aliquid obediens prælato, vel seruans notum, quam si aliquis actus magis meritorius ex eo quod procedit ex maiori charitate, licet sit minor ex suo genere, & sic nihil prohibet magis mereri illum qui facit aliquid ad dictum fratris.

Primum ergo concedimus.

**A**D SECUNDVM Dicendum, quod ille qui facit aliquid ad dictum fratris, facit propria sponte, unde minoris humilitatis esse videtur, quam quod aliquis obediatur prælato tanquam superiori.

QVÆSTIO VII.

**D**E INDE quæstum est de eleemosyna.

**¶ 1** Et Primo, De eleemosyna clericorum.

**¶ 2** Secundo, De eleemosynis qd fiunt pro mortuis.

ARTICULUS XII.

**B**VTRUM CLERICI peccent mortaliter, si ea que eis superfluent, in eleemosynas non largiantur.

**C**IRCA primū sic proceditur. Vr quod clerici peccent mortaliter, si ea que eis superfluent, in Quodlib. S. Tho.

F. ele-

eleemosynis non largiantur, quia super illud Luc. 3. Qui haber duas tunicas, det vnam non habenti dicit glo. De duabus tunicis diuidendis datur preceptum, quia si vna diuidatur, nemo vestitur in diuidia tunica & nudus remanet, qui accepit, & qui dedit, sed per largitionem unius tunice intelligitur largitio eorum que superfluent ad necessitatem vias, ut patet per ea que in eadem glo. præmittuntur. ergo dare superflua est in precepto: sed qui transgreditur præceptum, peccat mortaliter. ergo ille qui non dat superflua pauperibus peccat mortaliter.

¶ 2 Præceptum plus obligat, quam consilium: sed dare omnia quæ quis posset, est consilium, & ramen ad hoc homo obligatur in casu extremæ necessitatis. ergo est extra calum extremæ necessitatis tenerum aliquis superflua dare pauperibus, cum hoc sit in precepto, & ita qui non largitur, peccat mortaliter.

¶ 3 Præc. Quicumque consumit quod est alterius, tenetur ad restitutionem. Sed bona clericorum sunt pauperum, ut patet per glo. Hieronymi super illud Isa. 2. Rapina pauperum in domo uestra. ergo si clerici inutiliter bona ecclesiastica consumunt, tenentur restituere pauperibus aliunde si habuerint.

¶ 4 Præc. Quicumque facit se impotenter ad id quod tenetur facere, peccat mortaliter: sed clerici faciendo superflua, expensas faciunt se impotentes ad subueniendum pauperibus, ad quod tenentur. ergo uidetur quod peccet mortaliter.

**H** EREMITA IN CONTRARIUM uidetur esse consueto, quæ apud multos prævaluat.

RESPON. Dicendum, quod aliter uidetur se habere circa bona patrimonialia, & circa bona ecclesiastica. Nam bonorum patrimonialium, vel licite acquisitorum homo vere est Dominus, unde quantum pertinet ad conditionem ipsius rei potest resua ut ut uult, & ex hac parte non accidit peccatum. potest tamē peccatum accidere ex inordinato modo utendi, vel per superabundantiam, dum scilicet inutiliter consumit bona propria in ea in qua non oportet. vel secundum defectum, in quantum scilicet non erogat ea in qua oportet. Vtrosq; enim modo corruptitur uirtus, ut dicitur in 2. ethieorum. Bonorum vero ecclesiasticorum clerici non sunt uere Domini, sed dispensatores, secundum illud 1. ad Cor. 7. Dispensatio autem mihi credita est. Pertinet autem ad dispensatorem, ut fideliter distribuat ea quæ eius dispensationi committuntur, secundum illud 1. ad Cor. 4. Hic iam queritur inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur. In his ergo potest duplicitate peccatum contingere. Vno modo, ex conditione ipsius rei, dum scilicet usurpat sibi quasi rem propriam, & in usus suos conuertat id quod esset alii erogandum. Alio modo, ex inordinato usu coru, quæ in partem suam cedunt, sicut etiam de aliis dictum est. Verum quia horum dispensatio fidei dispensatoris committitur, ut dictum est, si quis bona fide dispense ecclesiastica bona, inde accipiens quod sibi conuenit secundum conditionem status & persona, & aliis largitur secundum quod sibi in bona fide expedire non peccat mortaliter, etiam si forte aliquid plus in usus suis conuertat, quam oporteat. Talia enim quia in singulisibus est eorum iudicium, non possunt per omnimodam certitudinem diffiniri. Unde si non sit multis excessus, potest compati bonam fidem dispensatoris: si uero multis excessus fiat, non potest latere, & ita non potest cum bona fide dispensatoris hoc agi: si autem non co-scruct bona fide in dispensando, peccat mortaliter.

**F** AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in li. de sermone domini in monte. Illa præcepta que Domini tradidit Mat. 5. Qui peccaverit te in unam maxillam, prebe ei & aliam, & que ibi sequuntur, sunt intelligenda secundum præparacionem animi, ut scilicet homo sit paratus hoc facere quando necessitas hoc requirit. Vnde non semper est peccatum mortale, quando homo hoc non facit, sed quando videt necessitatem immixtum, si non faciat, tunc peccat mortaliter: & eadem ratio est de hoc præcepto. Qui haber duas tunicas det non habent, & de omnibus similibus. Vnde non semper peccat mortaliter quotiescumque non dat pauperi qui superfluum habet, sed quando necessitas imminet. Quando autem sit talis necessitas, quod obligat ad peccatum mortale, non potest ratione determinari, sed committitur prudentie & fidei dispensantis: unde si bona fide det, quando libet uideatur expedire, immunis est a peccato, alioquin mortaliter peccat.

AD SECUNDVM Dicendum, quod illa eadem que sunt consilia, cadunt sub præcepto secundum animi præparationem. Nullum enim consilium est perfectum, quam quod homo tradat animam sua pro fratribus suis, & tamen hoc cadit sub præcepto animi præparationem, secundum illud 1. Io. 3. It nos debemus pro fratribus animam ponere. Est mortaliter dare omnia sua pauperibus, cadit sub præcepto secundum animi præparationem, ut scilicet homo sit paratus hoc facere, si necessitas imminet. Minor tamen necessitas requiritur ad superfluo ganda, quam ad omnia exhibenda, tamen hoc in ratione uniuersali determinari non potest, sed committitur prudentie, ut dictum est.

AD TERTIUM. Dicendum, quod bona ecclesiastica non solum sunt dispensanda pauperibus, sed est ecclesiastico minister: vnde secundum canones obediunt dicitur hoc modos ut aliqua pars cedar in usus pauperum, & aliqua pars in usus ministrorum, & in cultum ecclesie.

Alius ergo dicendum est de illis ecclesiasticis bonis, quæ principaliiter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitate amanistrorum, sicut sunt bona hospitalium, & alio modi huiusmodi. Et alius de illis bonis quæ sunt principaliiter attributa uisibus ministrorum, sicut sunt p[ro]benda clericorum, & alia huiusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solius abuso, sed etiam ex ipsa rerum conditione, cum aliquis in usus suis consumit quod est alienum, & ita tenet ad restitutionem tanquam deiraudator rei alienae. In secundis vero bonis non committitur peccatum nisi abuso, sicut & debitis patrimonialibus dictum est: vnde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad penitentiam peragendum.

AD QUARTUM. Dicendum, quod neque modus ratiusculus dimittatur, neque bona fides dispensatorum falaci uidetur in eo qui scienti super celibus expensas facit in uoluptuosis coniugij, & alijs, huiusmodi superfluitatibus. & si non est dubium, quod in talibus peccat mortaliter. Vnde dicitur Mat. 24. Si dixerit malus seruus ille in corde suo, moratur facit Dominus meus venire, & cœperit persecutio contra eos, quod pertinet ad superbiam & crudelitatem Domini, n[on] aducerat etiam & bibat cum ebrios, quod pertinet ad superbia sua & uoluptuosa coniuia, ueniet Dominus seruus illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & dividet eum, & associat eum & sanctorum, partemque eius ponet cum hypo-

QVODLIBET. VI. ART. XIII. XLI. ET XV.

42

hypocritis, si in inferno, unde ibi subdit. Ibit erit fletus & stridor dentium. Si autem alius non mul-  
tum in talibus excedat, potest bona fide fieri ab ali-  
quo, qui vult secundum decentiam sui statutum mo-  
rem gerere his quibus concurrit.

QVÆSTIO VIII.

**D**EINDE quæsumus est de elemosynis quæ sunt pro mortuis.

¶ Et circa hoc quæsta sunt duo.

¶ Primo, Vtrum mortuus patiatur aliquod deri-  
menum, si executor eius differat dare elemosynas,  
quas ipse in testamento dari mandauit.

¶ Secundo, Vtrum executor licite possit differre  
distributionem elemosynarum ad hoc quod res  
defuncti melius vendantur in polterum.

ARTICULUS XIII.

Vtrum mortuus aliquod detrimentum feriat ex hoc, quod  
elemosyne, quas mandauit dari, retardantur.

**C**IRCA primum sic proceditur. Videatur pro mor-  
tuus nullum detrimentum feriat ex hoc, quod  
elemosyne, quas mandauit dari, retardantur. Huiusmodi enim retardatio prouenit ex negligentiâ  
executoris; sed negligentia unius non imputatur  
alteri, ergo nullum detrimentum mortuus patiatur  
ex huiusmodi tarditate.

**S**ED CONTRA est, quod propter huiusmodi tardita-  
tem retardantur orationes & sacrificia, que fierent  
pro anima defuncti, ex quibus plurimum iuvaret.  
ergo ex huiusmodi tarditate patiatur detrimentum.

**R**ESPOON. Dicendum, quod sic opus dupli-  
citione. Primo quidem ex parte ipsius detrimen-  
ti: distingendum est enim duplex detrimentum.  
Nam quoddam detrimentum est, quod pertinet  
ad tolerantiam poenæ, secundum illud quod ha-  
betur. Cor. 1.3. Si cuius opus a seruit, detrimen-  
tum patietur. Aliud autem quod pertinet ad substrac-  
tionem remedii. Secundo etiam distinguendum est  
ex parte elemosyne, circa quam potest considera-  
ri etiam detrimentum ipsius elemosyne, & effec-  
tus ipsius. Quantum ergo ad meritum elemo-  
synæ nullum detrimentum patiatur defunctus ex  
predicta tarditate, maxime si quantum in ipso fuit  
curia adhibuit, ut huiusmodi elemosyna cito  
darentur, quia meritum principaliter ex voluntate  
& interiori dependet: sed quantum ad effectum ele-  
mosyne patitur detrimentum, non quidem ut pro  
iustinodi tarditate puniatur, sed quia remedium ei  
non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex qui-  
bus plurimum iuvaretur.

**A**D PRIMUM ergo dicendum, quod negligentia  
unius non imputatur alteri ad poenam, po. est ta-  
men redundare in alterum quantum ad defectum  
remedii, secundum quod unus homo ab alio iu-  
vari potest.

ARTICULUS XIV.

Vtrum executor debeat tardare distributionem elemosynarum ad hoc, quod res defuncti melius vendantur.

**C**IRCA secundum sic proceditur. Videatur, quod  
executor debet tardare distributionem elemosynarum ad hoc, quod res defuncti melius non  
vendantur. Quia ex hoc sequitur quod plures elemo-

**A**synas poterit facere pro defuncto, ex quibus de-  
functus magis iuvabitur. ergo si differat, videatur  
quod laudabiliter & fideliter hoc faciat.

**S**ED CONTRA est, quia ex tarditate elemosynarum  
sequitur retardatio remedii, quo forte defun-  
ctus indiget. ergo videatur quod huiusmodi re-  
tardatione grauerit defunctus potius quam  
iuvetur.

**R**ESPOON. Dicendum, In mora modici temporis non videtur esse magnum periculum. Unde si  
executor per modicum tempus elemosynam da-  
re differat, ut rebus defuncti melius videntur am-  
pliores elemosynas dare possit, laudabiliter hoc  
facit. Si vero econverso, per multum tempus dif-  
ferat elemosynas distribuere, vi non multo am-  
pliores elemosynas faciat, non videtur esse absq[ue] culpa, quia forte defunctus a purgatorio liberatur, in quo existenti remedium suffragiorum maxi-  
mum necessarium erat: hoc autem requirit prudens-  
tis executoris examen, ut & consideratis dilatione  
temporis, & conditio[n]e personæ que credi ciuius  
vel tardius liberanda, & etiam quantitate augmen-  
ti elemosynarum, faciat quod videbitur expedire  
defuncto.

QVÆSTIO IX.

**D**EINDE quæsumus est de peccatis.

¶ Et circa hoc quæsta sunt tria.

¶ Primo, De peccato originali, vtrum sille qui ba-  
ptizatus est, transmittat peccatum originale in  
prolem.

¶ Secundo, De peccato actuali in generali, quid si  
sit prius, vtrum auerio a Deo, vel concusio ad com-  
mutabile bonum.

¶ Tertio, Specialiter de mendacio, quod menda-  
cium sit gratuitum, vtrum illud quod fit verbo, vel il-  
lud quod fit facto.

ARTICULUS XV.

Vtrum ille qui est baptizatus, transmittat peccatum  
originale in prolem.

**C**IRCA primum sic proceditur. Videntur quod il-  
le qui est baptizatus, non transmittat pecca-  
tum originale in prolem. In eo enim qui nascitur,  
tria possunt considerari, scilicet corpus, anima, & unio  
utriusque: sed non contrahit peccatum originale  
secundum corpus, quod contrahit a parentibus,  
quia parentes erant totaliter a peccato originale  
mundati, similiter etiam nec secundum animam  
quam haber ex creatione Dei, in quem peccatum  
non cadit, & per consequens neque etiam secun-  
dum unionem utriusque: ergo ille qui nascitur ex  
baptizatis, nullo modo contrahit peccatum ori-  
ginale.

**S**ED CONTRA est, quia remedium non adhibetur  
nisi uulneri: sed baptismus, qui est medicinale re-  
medium contra uulnus originalis peccati, adhibe-  
tur parvulis baptizatorum filiis secundum coem  
ecclesie confutudinem: ergo parvuli baptizatoru[m]  
filii cum originali peccato nascuntur.

**R**ESPOON. Dicendum, quod peccatum, quod  
ex transgressione primorum parentum in omnes  
posteros originaliter derivatur, non aboleretur nisi  
per gratiam Christi, qui de peccato damnauit pec-  
catum in carne, ut dicitur ad Romanos octavo.  
sed hoc quoddam ordine peragitur. Nam primo in

Quodlib. S. Tho. F. 2 statu

Et in or. 1.6.  
de ma. q. 4.  
ar. 1. s. 8. &  
12. q. 8. ar. 1.  
& 4.